

ideo addit Paulus hanc prædestinationem factam esse *secundum consilium voluntatis Dei*. Quod proprie de integra prædestinatione dicitur, nec Paulus unquam usus est voce prædestinationis in alia significatione; quin potius, ad Rom. 8, distinguit prædestinationem a singulis effectibus ejus; quæ expositio est consentanea Augustino locis supra citatis, et aliis expositoribus. Ratione probatur ex dictis, quia Christus meruit dilectionem efficacem prædestinatorum; sed tota prædestinatione eorum ex hac dilectione nascitur; ergo meruit etiam prædestinationem. Secundo, quia Christus meruit omnes effectus gratiæ, qui ex particulari Dei providentia fiunt circa prædestinatum; sed qui hæc omnia meretur, meretur totam prædestinationem; et si aliquis posset sibi hæc omnia mereri, mereretur prædestinationem suam; ergo.

31. *Obiectio. — Responsio. — Naturalia quæ et quomodo Christus nobis meruerit.* — Sed contra, quia Christus non meruit prædestinationis omnia media per quæ consequuntur suam salutem, quia non meruit incarnationem, quæ est potissimum medium; sed mereri prædestinationem, est mereri alicui omnia media suæ salutis. Et confirmatur, quia multa bona naturalia, quatenus ad salutem conferunt, sunt effectus prædestinationis, ut nasci hoc tempore, hoc loco, ex his parentibus, cum hac complexione; sed hæc non oriuntur ex Christi meritis, sed ex ipsa dispositione et naturali cursu universi; ergo. Respondetur ad argumentum, incarnationem potius dici causam salutis prædestinati, quam proprie medium, quia incarnatio non est amata seu electa ex intentione efficaci dandi vitam æternam prædestinato, sed per se fuit primario amata. Et quamvis demus, vel incarnationem, vel passionem esse ordinatam ex intentione generali salvandi genus humanum, non autem ex particulari dilectione prædestinatorum, media autem prædestinationis dicuntur, quæ ex hac dilectione procedunt. Quocirca illud argumentum solum concludit, Christum non meruisse nobis omnes causas nostræ salutis, neque omnem supernaturalem providentiam gratiæ; non inde tamen fit non meruisse prædestinationem nostram, quia ad hoc satis est mereri prædestinato omnem gratiam, quæ illi confertur, et omnia media particularia per quæ generales causæ vel remedia gratiæ illi applicantur. Prædestinatio enim significat specialem rationem divinæ providentiæ, per quam electus infallibiliter perducitur ad vitam æter-

nam. Quapropter, qui negant Christum esse causam nostræ prædestinationis, solum quia non fuit causa suæ incarnationis, non recte loquuntur, quamvis in solo modo loquendi a nobis differre videantur. Ad confirmationem respondetur, Christum Dominum etiam illa naturalia dona nobis meruisse, quæ ad salutem æternam conferunt, quatenus ex speciali intentione et electione prædestinati conferuntur; sicut enim possumus hæc bona promereri et impetrare in Christo et per Christum, ita etiam, cum sine merito vel oratione nostra dantur, possunt propter meritum Christi dari. Quis etiam neget, aut mori in tali tempore et loco naturale esse, aut non sæpe dari propter Christi meritum, cum hoc sæpe ad donum perseverantiæ pertineat? Licet ergo effectus naturales ex dispositione causarum naturalium proveniant, tamen, si ad prædestinationem pertinent, illamet dispositio causarum, sicut sub prædestinationem cadit, ita et sub meritum Christi.

## DISPUTATIO XLII,

In duas sectiones distributa.

## DE HIS QUÆ CHRISTUS MERUIT ANGELIS.

In hac disputatione brevius quam in præcedentibus agendum est, quia res est minus certa, et ideo unica fere sectione, examinabimus an Christus meruerit Angelis, et quid illis meruerit; nam hæc duo vix possunt disputando seungi; deinde tamen occasione hinc sumpta, videndum erit an possit Christus aliquo modo dici Redemptor Angelorum, vel, quod idem est, an pro illis satisfecerit.

## SECTIO I.

*An Christus meruerit Angelis omnia dona gratiæ et gloriæ.*

1. Prima sententia negat Christum Dominum Angelis aliquid meruisse, præsertim gratiam et gloriam. Ita videtur sentire Bonavent., in 3, d. 43, art. 2, q. 3, dum negat Christum influere gratiam in Angelos; Paludan., q. 1, art. 3; Durand., q. 2; Alens., 3 p., q. 12, memb. 2, art. 3, § 5, dum affirmant Christum habere influxum gloriæ accidentalis, et aliquarum illuminationum in Angelos; de alio vero influxu gratiæ omnino tacerunt; D. Thomas etiam, hac 3 p., q. 8, art. 4, solum in communi dixit Christum aliquid influere in homines et Angelos, et q. 59,

art. 5, negat Christum iudicaturum Angelos quoad præmium essenziale, sed tantum quoad accidentale; quanquam hic locus parum urgeat, ut patet ex ratione quam ibi subiungit in corpore, et ad primum, scilicet, quia iudicium illud consummatum est ante incarnationem, et non est iterandum; unde ad eundem modum loquitur de judiciis particularibus hominum factis ante incarnationem, vel ante diem iudicii, ut ibidem patet, art. 4, ad 3, et art. 5, ad 1 et 2. Expressius tamen in 3, dist. 13, q. 2, art. 2, hanc tenet sententiam, et q. 29 de Verit., art. 4, ad 5, et art. 7, ad 5: et in eadem sententiam inclinat Dried., tract. 2 de Captiv. et redempt. gener. human., c. 2, part. 3, art. 5, fol. 51, quamvis addat Christum non meruisse gratiam Angelis removendo ab illis peccatum. Et probatur primo, quia Scriptura sacra nunquam dicit Christum venisse propter Angelos, ut eis gratiam et gloriam mereretur; quin potius ipsemet Christus dicit se reliquisse nonaginta novem oves, et venisse ad quærendam unam ovem perditam, Matth. 28, et Luc. 15; quibus locis Ambros., Anselm., Beda, Theophyl., et alii, et Gregor., homil. 34 in Evangelia, exponunt de divino Verbo, quod, relictis in cælo Angelis, ad quærendam humanam naturam lapsam descendit; non ergo venit ut Angelis mereretur, neque ut eos ad suum ovile aggregaret. Unde, Act. 4, de hominibus dicit Petrus, et non de Angelis, non esse *sub cælo aliud nomen nobis datum, in quo oporteat nos salvos fieri*; 1 ad Timot. 4, dicit Paulus Christum esse salvatorem omnium hominum, maxime fidelium; de Angelis vero nihil dicit. Confirmatur ex illo ad Hebr. 2: *Qui sanctificat, et qui sanctificantur, ex uno omnes; propter quam causam non confunditur eos fratres vocare*; et infra: *Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem*. Quibus verbis requirit Paulus inter sanctificantem et sanctificatos, vel originem ab eodem parente Adamo, vel (quod idem est) communicationem in eadem natura, ut exponit Adamus; et similiter inquit ideo induisse nostram naturam, quia futuri eramus fratres ejus, et spirituales filii; hoc enim est quod ait: *Quia pueri communicaverunt carni et sanguini, etc.* Unde statim subiungit: *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abraham apprehendit*. Ex quo testimonio ita concludi potest ratio: nam qui sanctificantur per merita Christi, sunt pueri et fratres Christi, et communicant cum illo in carne

et sanguine, ut Paulus dicit; sed Angeli non sunt hoc modo fratres Christi, non enim habent carnem et sanguinem, neque illis assimilatus est Christus; ergo non sunt illius merito sanctificati; et ita Chrysost., Theophyl., et alii, ibi per sanctificatos a Christo solos homines intelligunt.

2. Secundo, videtur colligi hæc sententia ex modo loquendi Patrum; ubicunque enim explicant quid profuerit Angelis Christi adventus, nihil aliud dicunt nisi per Christum esse reparatas sedes Angelorum, hominibus ad illas implendas assumptis, ex quo effectu magnum gaudium accidentarium ad sanctos Angelos redundavit, et novam quamdam ac singularem amicitiam cum hominibus contraxerunt. De merito autem gratiæ et gloriæ nihil omnino dicunt, ut videre licet in Chrysost., Theodoret., et Theophyl., Anselm., Beda, et aliis exponentibus verba illa ad Ephes. 1: *Instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, et quæ in terra sunt*; et illa ad Coloss. 1: *In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive que in terris, sive quæ in cælis sunt*. Et ad eundem modum loquitur August., in Enchir., c. 61, 62, 63 et 64; et Gregor., 1. 28 Moral., c. 6 et 7, alias c. 14; et Ambrosius, serm. 10 in Psal. 118. p. 3, qui multum videtur favere huic sententiæ, dicens: *Habemus aliquid quod fortasse Angeli non habeant; ubi enim abundavit peccatum, superabundavit et gratia; nobis est natus Christus ex Virgine; legimus enim: Puer natus est nobis, et Filius datus est nobis; nobis carnem suscepit, imo potius nos in illa carne suscepit, quando Filium hominis in Dei sede constituit; non lego Angelos in Dei sede nisi stantes, nisi ministerium deferentes; non lego Angelos, sed homines consepultos Christo, et in Christo resuscitados. Denique ait Apostolus, quia conviticavit nos in Christo, cujus gratia estis salvificati, et simul suscitavit, simulque sedere fecit in cælestibus cum Christo Jesu*.

3. Tertio, possemus argumentari ratione sumpta ex ordine prædestinationis, si verum esset Christi meritum solum fuisse præordinatum et prævisum post præscitum originale peccatum, quia totum negotium Angelorum intelligitur consummatum ante peccatum Adæ prævisum. Nam prius intelligitur prævisum peccatum Angelorum quam Adæ, quia fuit aliquo modo causa illius. Denique gratia et gloria Angelorum independens fuit a pec-

cato hominum; unde, si Christus prædestinatus fuit post prævisum peccatum hominum, et dependenter ab illo, non potuerunt habere Angeli gratiam et gloriam dependenter a Christo. Quæ ratio videtur sane urgentissima, supposita illa sententia; quanquam multi discipuli D. Thomæ conentur illi respondere, ut concilient illam opinionem D. Thomæ, cum ea, quam de merito Christi respectu Angelorum statim explicabimus. Sed vix possunt id explicare, nec rationi factæ satisfacere; tamen non oportet ut in examinandis eorum subterfugiis nos immoremur, cum credamus rationem hanc falso niti fundamento, et supponamus Christum et ante prævisum peccatum Adæ, et ante ipsos Angelos fuisse prædestinatum. Aliter ergo probari potest hæc sententia ab inconvenientibus, nam sequitur primo Angelos non fuisse glorificandos ante Christi adventum, sicut nec hominibus antea gloria data est, quia non decebat prius coronari milites quam ducem, et ultimum præmium prius dari membris quam capiti, quod est fons et ratio totius meriti. Secundo, quia sequitur Christum redemisse Angelos qui non peccaverunt, saltem per modum præservationis, sicut beata Virgo fuit redempta; patet sequela, quia per Christum receperunt gratiam, per quam a peccando præservati sunt. Tertio, sequitur Christum mortuum esse pro Angelis, quod est contra communem modum loquendi Scripturæ, in qua dicitur Christus esse mortuus propter delicta nostra. Sequela autem patet, quia merita Christi per passionem consummata sunt; si ergo Christus meruit Angelis, per passionem meruit illis; unde, in Apocal. 7, soli beati homines dicuntur *lavisse, et dealbasse stolas suas in sanguine Agni*. Ubi aliqui notant, de hominibus dici *stare ante thronum Dei et Agni, clamantes, et dicentes: Salus Deo nostro, sedenti super thronum, et Agno*, tanquam redemptori suo; de Angelis vero solum dicit stare ante thronum Dei, et adorare eum, nulla facta mentione Agni, quia pro illis occisus non est.

4. *Christus causa meritoria gratiæ et gloriæ Angelorum.* — Dico tamen primo, Christum Dominum meruisse Angelis gratiam et gloriam, quæ illis data fuerat propter merita Christi prævisa. Ita docet expresse D. Thomas exponens illud Joan. 1: *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, scilicet, inquit, omnes Apostoli, Patriarchæ, Prophetæ, et justi, qui fuerunt, sunt, et erunt, et etiam omnes Angeli;* infra: *Quia plenitudo* e, quæ est in

*Christo, est causa omnium gratiarum quæ sunt in omnibus intellectualibus creaturis.* In hac vero 3 p. consulto videtur noluisse satis explicare sententiam suam, in particulari aliquid affirmando vel negando; tamen, cum generaliter loquatur, et eodem modo dicat Christum influere in homines et Angelos, tanquam caput in membra, multum huic sententiæ patrociniatur; in q. enim 8, art. 1, absolute dicit Christum influere gratiam in omnia membra Ecclesiæ; statim vero, art. 4, dicit hanc Ecclesiam, cujus Christus est caput et in quam influit, constare ex hominibus et Angelis; nisi ergo magna æquivocatione utatur, loquitur in utroque loco de influxu gratiæ. Præterea, q. 7, art. 9, dicit, Christo esse datam plenitudinem gratiæ simpliciter, quia data est illi ut universali principio in genere habentium gratiam, in quo genere sine dubio Angeli comprehenduntur. Unde cum subdit: *Et ut eam ad alios transmittat*, Angelos etiam complectitur, quod necessario etiam videtur dicendum, ut ratio ejus efficax sit; vult enim concludere, in Christo esse plenitudinem gratiæ simpliciter, tam respectu hominum quam Angelorum. Quod probat ex efficacia ejus, scilicet, quia est principium universale gratiæ; necesse est ergo ut hoc intelligat etiam respectu Angelorum. Statim tamen, art. 11, videtur hoc limitare, dicens, Christo datam esse gratiam, *ut universali principio gratificationis in humana natura.* Sed imprimis Cajetan. ibi, qui nostram conclusionem tenet, explicat particulam illam, *in humana natura*, designare subjectum necessitatis, ex quo sumpta est occasio meritorum Christi; non vero significare subjectum (ut ipse dixit) extensionis, quia meritum Christi, licet ex occasione peccati hominum ordinatum sit, extentum tamen est ad Angelos. Quod quam consequenter dictum sit, jam inter argumentandum indicavi. Facilius exponi posset D. Thomas, ut *humana natura* designet principium in quo, vel per quod Christus est universale principium gratificationis, non subjectum, seu terminum cui communicatur illa gratificatio. Denique, etiam si intelligatur ut jacet, D. Thomas in hoc posteriori loco solum affirmat particularem terminum hujus gratificationis, non vero negat universalem, quem in articulo priori posuerat. Hanc conclusionem tenet etiam Albert., in 3, distinct. 13, art. 2, ubi dicit Christum esse caput Angelorum, quoad influxum gratiæ et gloriæ. In eadem inclinatur Ruardus, art. 2, circa prin-

cipium, ubi dicit renasci in Christo ex Spiritu Sancto, non solum hominibus, sed etiam Angelis fuisse necessarium; art. vero 8, aliquid quantum a principio, expressius de hoc disserens, cunctando quidem, tamen hanc partem amplectitur; ex professo tamen defendunt hanc sententiam Catherinus, lib. 1 de Eximia Christi prædestinat., et in opusc. de Gloria et peccato Angelorum; Galatinus, lib. 3 de Arcanis catholicæ veritatis, c. 4; Joan. Arboreus, lib. 3 Theosophiæ, c. 13; Viguer., in Institutionib., c. 20, § 1, versic. 4; Jacobus de Valentia, in id Psalm. 102: *Benedicite Dominum omnia opera ejus*; Neclantus, super ad Ephes. 1, et in lib. cujus titulus est: *Medulla sacræ Scripturæ, in tertia mundi ætate, c. 2*; Melchior Flavius, lib. de Regno Christi. Et quanquam (ut verum fatear) neque ex Scripturis sacris, neque ex sanctis Patribus possit hæc sententia efficaciter convinci, possunt tamen ex illis adduci non contemnendæ conjecturæ, quæ, conjunctæ cum iis quæ de Christi prædestinatione in superioribus dicta sunt, eam valde probabilem ostendunt. Principio igitur suppono ex materia de Angelis et de gratia, generalia principia, quæ traduntur a Conciliis, et ex sacra Scriptura colliguntur, de necessitate gratiæ ad supernaturales actus, et ad promerendam vitam æternam, non solum ad homines, sed etiam ad Angelos pertinere. Quod uno exemplo satis declaratur. Dicit Paulus, ad Ephes. 2: *Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis, donum enim Dei est, ne quis gloriatur.* Hæc sententia sine dubio de Angelis etiam vera est, quia neque ipsi gloriari possunt; dono enim Dei, per gratiam et fidem salvi facti sunt; ostensum est autem præcedenti disputatione, gratiam Dei necessariam ad salutem, et gratiam Christi, seu a Christi meritis manantem, eandem esse, seu ad convertentiam dici; sicut ergo Angelis gratia Dei necessaria fuit ad salutem, ita et gratia Christi. In quo sensu optime intelligi potest quod Fulgentius ait, libro secundo ad Trasimundum, capite tertio: *Una est in utroque (scilicet, Angelo et homine) gratia operata; in hoc, ut surgeret; in illo, ne caderet; in illo, ne vulneraretur; in isto, ut sanaretur; ab hoc infirmitatem repulit, illum infirmare non sinit; illius esca, istius medicina.* Unde quod, Joan. 14, absolute et simpliciter Christus de se pronuntiavit, *Ego sum via, veritas et vita, nemo venit ad Patrem nisi per me*, tam de Angelis quam de hominibus merito intelligimus; neque enim illa vox,

*nemo*, ita ad homines refertur, quin possit etiam Angelos comprehendere; ut cum Marci 10 ait Christus: *Nemo bonus, nisi solus Deus*, non solum homines, sed etiam Angelos excludit; et similiter intelligitur quod ait, Joan. 10: *Et nemo potest rapere de manu Patris mei.* Accommodari præterea potest illud Joan. 17: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* Eadem enim est vita æterna hominum et Angelorum; Paulus etiam, ad Ephes. 4, totum Ecclesiæ corpus dicit habere charitatem et augmentum ejus ex influxu capitis; docuerat autem idem Paul., c. 1 et 2, et ad Coloss. 1 et 2, Christum non solum hominum, sed etiam Angelorum esse caput. Illud denique ad Ephes. 4, ubi *omnia per Christum et in Christo instaurari dicuntur.* Ubi Hieronymus et alii, qui juxta lectionem græcam *recapitulari* vertunt, non parum favent; dicuntur enim, *omnia recapitulari in Christo*, vel quia cum inter se essent admodum distincta, sub uno Christo capite unum quodammodo effecta sunt, ut Chrys. et Theophyl. exponunt; vel quia in Christo omnia sunt nobilitata, et ad perfectionem deducta, singula juxta capacitatem suam, ut supra, q. 1, art. 3, explicatum est. Quo fit ut, quæ perfectionis spiritualis vitæ capacia sunt, per Christum illam consequantur. Vel denique quia omnia gratiæ mysteria, quæ tam in celo quam in terra facta sunt, in Christo, et per Christum complentur, ut Claudianus exponit.

5. Secundo, probatur ex Patribus. Solet autem vulgo hæc sententia tribui Bernardo, serm. 17 et 22 in Cantica; in priori enim loco dicit Angelos malos peccasse ob invidiam hominum. In posteriori vero dicit Christum redemisse Angelos sanctos præsentando illos. Sed ut quod verum est fateamur, Bernardi sensus alius omnino est ab hac sententia; nam in priori loco non de invidia in Christum concepta, sed in homines, eo quod ad eandem beatitudinem cum Angelis evecti sunt, loquitur Bernardus; in posteriori vero loco manifeste agit de Christo, ut est Deus et Verbum Patris, et ut operatus est gratiam et gloriam in Angelis, antequam esset homo. Et eodem modo de eadem re loquitur serm. 1 de Circumcisione. Affertur etiam solet Cyril., lib. 5 in Isai., tom. 2, in principio, ubi dicit, per Dei Verbum, seu sermonem, omnem fructificationem spiritualem, tam in sanctis Angelis quam in hominibus insitam esse; et statim explicat, hoc Verbum esse Christum, spon-

sum Ecclesiæ, cui Ecclesia, ex gentibus congregata, per fidem desponsata est. Sed hoc etiam testimonium potest facile de Verbo secundum divinitatem intelligi, quanquam contemnendum non est. Sunt etiam optima verba Gregorii, lib. 1 Reg., c. 2, circa illa verba: *Non est alius extra te: Subauditur, inquit, sanctus, quia nullus hominum neque Angelorum sanctus est, nisi per Christum.* Et infra dicit, tam Angelos quam homines esse sanctificatos in Filio; rem vero magis declarans, addit: *Et quia Unigenitus Dei Deus est, extra eum non est aliquis, quia nemo electorum, nisi in ipso est, quod sic refertur ad divinitatem ejus, ut nequaquam intellectum humanitatis evacuet.* Hactenus Gregorius, ubi aperte loquitur de omnibus electis hominibus et Angelis, ut patet ex illa causali et universali locutione: *Quia Unigenitus Deus est, extra illum non est aliquis*, scilicet, neque homo, neque Angelus; quod ergo subdit, ita esse hoc de divinitate intelligendum, ut humanitas non excludatur, de omnibus etiam intelligit. Quod etiam confirmat ratio quam subdit, quia sine fide Christi nullus salvatur, quod tam de Angelis quam de hominibus verum habet. Ad eundem modum loquitur idem Gregor., hom. 14 in Ezechiel., exponens illa verba c. 40: *Etece murus forinsecus in circuitu domus undique.* Ubi sic inquit: *Unigenitus Patris, qui sursum est firmitas Angelorum, inferius factus est hominum redemptio.* Quod licet exponi possit de Christo secundum diversas naturas, tamen ipse loqui videtur de muro extrinseco, quem dixerat esse Verbum incarnatum. Laurent. etiam Justinian., serm. de Ascensione, dicit, Christum factum esse *Angelorum parietem et hominum.* Et in serm. de Assumptione B. Virginis, de illius eximia gloria verba faciens, inter alia sic inquit: *Nemo invadebat illi, quoniam ab ejus beneficiis nullus inveniebatur immunis, fructus quippe ventris ejus civitatem illam repleverat sanctitate.* Rupert. etiam, lib. 3 de Process. Spirit. Sanct., c. 21, cujus sententiam late tractavimus q. 1, art. 3.

6. *Angeli in via habuerunt fidem Christi.*—Tertio, probatur conclusio rationibus et conjecturis: quia Deus prævidit merita Christi prius quam gratiam vel gloriam Angelorum, juxta ordinem prædestinationis Christi supra a nobis explicatum; ergo credendum est Deum ordinasse Christi merita ad hunc effectum, quandoquidem ipsa habebant valorem et condignitatem ad hunc effectum, et ad ho-

norem Christi pertinebat ut per merita sua haberet effectum gratiæ et gloriæ etiam in Angelis; ac denique hoc modo magis ostenditur perfecta ratio justitiæ et misericordiæ in hoc divino opere de sanctificatione et gloria Angelorum. Secundo, quia optimus ordo rerum postulat ut omnia, quæ sunt unius generis, revocentur in unam causam in illo genere, quoad fieri possit. Item in uno corpore, quo major est connexio omnium membrorum cum capite, eo est constitutio perfectior; sed Angeli et homines conveniunt in uno genere gratiæ, et sunt membra unius corporis Ecclesiæ, cujus Christus est caput; ergo erit perfectior et convenientior ordo, si totum hoc corpus habeat unum principium et unum caput, per cujus influxum omnia illius membra vitam et spiritualementem sensum participant. Quæ ratio fundamentum habet, ut dixi, in Paulo, ad Eph. 4. Et juvari potest illis principiis metaphysicis: Quidquid est tale per participationem, revocatur ad id, quod est per se tale; Christus autem solus est per se gratus; Angeli vero per participationem; et ideo ad Christum revocantur, ut ab illo et per illum gratiam obtineant. Item, quia quod est supremum in uno genere, est causa cæterorum, eo modo quo esse potest; Christus autem est supremus in genere gratiæ, et ideo est causa gratiæ Angelorum finalis, exemplaris et meritoria; omnibus enim his modis esse potest et decet. Tertio, conficio argumentum quo supra, in simili quæstione de justitia Adæ, usus sum, nam Angeli in statu viæ habuerunt fidem Christi Domini; ergo per eam fidem vivam sanctificati sunt; ergo per Christi merita sanctitatem et gloriam obtinuerunt. Antecedens est sententia D. Thom., 1 part., q. 64, art. 1, ad 4; et colligitur satis clare ex Augustino, lib. 5 Genes. ad lit., c. 19; et ex Bernardo, serm. 27 in Cantica; et significat Rupertus, lib. 8 in Joan., circa finem, exponens verba illa Joan. 8: *Ille homicida erat ab initio.* Et confirmari potest ex dictis supra, q. 1, art. 3, Adam in statu innocentie habuisse hanc fidem; eadem enim est omnino ratio. Item quia dubitari non potest quin sancti Angeli videant in Verbo incarnationis mysterium, ut omnes Theologi docent cum August., lib. 9 Civit., cap. 21; ergo verisimilius est illud prius credidisse in via; fidei enim respondet visio, et quodammodo est proportionatum illius meritum, seu accommodata dispositio aut via ad illam obtinendam. Et ideo docent Theologi, homines ea

mysteria supernaturalia videre in Verbo quæ in via crediderunt. Denique apud Augustinum, notum est, Angelos de his mysteriis habere scientiam *matutinam*, de quibus habent, vel aliquando habuerunt cognitionem *vesperinam*, lib. 4 Genes. ad lit., c. 22; si ergo sancti Angeli lumine claro vident in Verbo incarnationis mysterium, non est cur dubitemus, cum essent viatores, cognovisse illud lumine fidei. Consequentia autem facta in principali argumento satis probata sunt, cum de justitia Adami disputarem; est enim omnino eadem ratio, quia si per fidem est Christus revelatus Angelis ab initio suæ creationis, sine dubio est illis propositus ut caput eorum, cui subjicerentur, et in quo suam spem et fidem post Deum collocarent; hoc enim modo, et propter hanc causam, fides Christi in iis requiri solet, qui Deo placent. Ex quo verisimilis valde gravissimorum auctorum sententia est, malos Angelos ex revelatione Christi sibi facta occasione sumpsisse peccandi, per superbiam, et invidiam humanæ naturæ, quod Rupert. supra indicat; et Hieronym., super ad Ephes. 1, dum inquit: *Omnis dissensio, quæ et ante mundum, et postea esse cepit in mundo, tam visibilibus, quam invisibilibus creaturarum, adventum Dei pollicebatur.* Ergo multo magis verisimile est, sanctos Angelos in Christo et per Christum, in quem credebant, meruisse.

7. *Quid Christus Angelis meruerit.*—Ex h c conclusione colligitur secundo, Christum Dominum meruisse sanctis Angelis omnia dona gratiæ, quæ nobis diximus meruisse, proportionate servata, exceptis iis quæ ad remedium peccati pertinent, de quo infra dicemus. Itaque meruit Christus sanctis Angelis electionem, prædestinationem, vocationem, auxilia omnia excitantia, adjuvantia, sufficientia et efficacia, ac denique omne meritum et augmentum gratiæ et gloriæ. Quæ omnia eisdem modis probanda sunt, quibus de hominibus probata fuerunt. Est enim eadem ratio, supposito modo prædestinationis Christi, et supposito etiam illo principio, quod gratia Christi et Dei eadem est, quia omnis gratia Dei per Christum communicatur.

8. *Responsio ad argumenta.*—Ad fundamenta contrariæ sententiæ. Ad Scripturæ testimonia respondetur, frequentius loqui de effectu passionis Christi per modum redemptionis, et liberationis a peccato, et ideo frequentius loqui de illa in ordine ad homines; cum vero loquitur de gratificatione, seu san-

ctificatione quæ est per Christum, vel cum ipsum proponit ut universalem auctorem gratiæ et salutis, nunquam excludit Angelos; quin potius cum de gratia Angelorum, et causis ejus perperca Scriptura loquatur, intelligendum videtur sub his universalibus locutionibus illos comprehendere, ut dictum est. In particulari vero ad illam parabolam de centum ovibus imprimis dicitur, ea, quæ in argumento afferuntur, magis ad spiritualementem sensum quam ad litteralem pertinere, nam litteralis sensus solum esse videtur, per eam parabolam tantum explicuisse Christum, cur potius cum poenitentibus quam cum justis versaretur, ut late Jansen. ibi prosequitur, c. 94 Concordiæ. Et in hoc litterali sensu fundatur commode mystica Sanctorum expositio, et hoc modo retorqueri potest ex illa parabola argumentum; primum, quia Christus vocat Angelos, oves suas, æque ac homines; non ergo minus ad se pertinere censuit illorum salutem quam hominum, quamvis pro hominibus, qui plus indigebant, plus laboraverit. Deinde, sicut relinquere justos non est non mereri illis, neque non operari salutem illorum, sed est non ita conversari cum illis, neque illos tot mediis et modis quærere, ita relinquere Angelos non fuit non mereri illis, sed fuit ad homines singulari modo descendere, relicto ad tempus Angelorum consortio et statu beatifico.

9. Ad testimonium Pauli, ad Hebr. 2, imprimis fieri potest vis in illis verbis: *Qui sanctificat et sanctificantur*, etc. Et sic duplex potest esse responsio, vel certe triplex. Prima est, non esse legendum, *Qui sanctificat et sanctificantur*, sed, *Qui sanctificat et sanctificatur*, ut hoc sit quoddam singulare nomen, et quasi epitheton Christi. Sic enim legisse videtur Dionys., cap. 4 de Ecclesiast. Hierar., circa finem, dicens, Christum, juxta modum loquendi Scripturæ, esse eum *qui sanctificat et sanctificatur*, quod nomen in nullo alio Scripturæ loco Christo tribuitur, ut ibi Maximus notavit, exponens Dionysium. Eodemque modo legisse videtur alter Dionys. Alexandrin., in epist. contra Paulum Samosatenum, apud Turrianum in Oplotecha, ubi idem refert ex Cyril., lib. 3 contra Nestorian., qui idem habet lib. 1 de Fide ad reginas, cap. *Quod Christus unus sit.* Qua lectione supposita, nullum potest ex illis verbis sumi argumentum. Obstat vero huic responsioni vulgar lectio, quæ in plurali habet, *Qui sanctificantur*; et eodem modo videntur legisse om-